

ILLVST.^{MO} ATQUE AMPLISS.^{MO}
ANTONIO MARIAE SALVIATO
S. R. E. CARDINALI

Si te, si mores tuos integerrimos, si probitatem summam, si modestiam, si temperantiam, si animi fortitudinem, atque magnanimitatem, si in rebus agendis, prudentiam incredibilem. Si Bononia studiorum mater. Si caput orbis Roma plenem non noussent, unus Horatius Caponius, cliens tuus tuique observantis satis superque foret, ut te orbis universus ingentes que virtutes tuas, et cognosceret, et admiraretur. Si id est, ut est, cur mirum videatur si vir unus idem huc, inter probos probatissimus, mihique amicissimus, tuis laudibus, animum meum repleverit? Quas, cum vir, veritatis amans, vere proferet, viro mili veritatis amanti, nihil mirum, si verissimas esse crediderim. Si crediderim, cur non etiam, toto animo sim amplexatus? Si sum amplexatus, cur non etiam sim admiratus? Prefertim in tanta nostri seculi, virtutum omnifaria penuria. Si sum admiratus, cur non etiam te, ornatumque virtutum tuarum, et pulchritudinem, amore ingenti sim prosecutus, et sim prosecuturus? Si vero id, cur non etiam id tibi significarent? At qua significarem significatione maiore, quam ingenii mei portubus? Qua meliore, quam divinitatis contemplatione? Rerumque divinarum? Et qua diuturniore, quam quae sui natura perpetua, labore nostro, favore tuo, perpetuitatem sibique ubique, mihique, polliceri posse videatur. Ea autem est Panarchiae nostrae libri sex, quibus titulum fecimus. De uno trino Principio. De secundo, ac tertio Principio. De Entium ordinibus De divinis unitatibus. De Essentia et ente, ac demum Dei vita. Neque enim maiore, aut meliore animi mei, erga, te tuaque singulares dotes, demonstratione, aut dono eminentiore ad te poteram accedere, quam Trino summo rerum principio, ac vita. Quos si cognosces philosophicis tamen autoritatibus, tum rationibus. Trinitatis divinæ mysterium demonstrari, quam Hebrei agnoscerre nolunt, Maometistæ spernunt, Christianorum Trinitarii, et veteres et recentes fatis multi, pernegant, Heretici dilacerant, cur pro tua summa pietate, pro authoritate, qua in regendo Romano Gymnasio fungeris, cum antecedentibus, sequentibus de divinitate libris, ut publice legantur, et exponantur non infinitus? Et si authoris, parum nota authoritas id dissuadeat, saltim vetustissimorum Zoroastri, Hermetis, Mysticæ, Platonicæque philosophiae librorum piorum, et fidei catholica consonantium, aliquem legendum, et explicandum pubilice cura, ut nimirum, ii qui a fide sunt alieni rationibus verissimis conuincantur, et fideles contra eos armentur, et in fide ipsi, magis atque magis confirmentur. Ut autem id libentius, et audentius efficias, sex Hosce libros, mentis meæ summam ac meliorem partem, non solum tibi mitto, verum etiam in omne tempus, Do, Dono, et Dico. Quibus et vita perenni latus fruere, et me prope Coponium tuum, inter clientes tuos repones. Vale. Ferrariæ,

Tibi devotiss.
Franciscus Patricius.